

**Dissertatio medica inauguralis de haemorrhoidibus caecis / [Johann Jacob Hering].**

**Contributors**

Hering, Johann Jacob.  
Bohn, Johannes, 1640-1718.  
Universität Leipzig (1409-1953)

**Publication/Creation**

[Leipzig] : [C. Fleischer], [1694]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/rh9ucdxn>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

J. J. H.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

# HÆMORRHOI- DIBUS CÆCIS,

*Quam*

INDULTU GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

*In*

## ALMA PHILYREA

SUB PRÆSIDIO

*Viri Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi*

DOMINI

## D. JOHANNIS BOHNII,

Therapeuticæ Prof. Publ. famigeratissimi,

ac p. t. PRO-CANCELLARII,

*Dn. Patroni, Præceptoris, Promotoris et atem de venerandi*

## PRO LICENTIA

Summos in Medicinâ Honores & Privilegia Doctoralia rite & le-  
gitime consequendi,

*Die VI. Julii, A.C. M DC XCIV.*

H. L. Q. C.

*Publice ventilandam sicut*

## M. JOHANN. JACOB. HERING.

Ligio-Siles. Med. Baccal.

---

LIPSIAE, Typis CHRISTOPH. FLEISCHERI.

VIRIS  
*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis,*  
*Consultissimis & Prudentissimis,*  
DOMINIS  
**CONSULIBUS,**  
**PRÆTORI,**  
Totiq; ordini  
**SENATORIO**  
Inclytæ Reipublicæ Lignicensis,  
*Dominis Mæcenatibus, Patronis ac Fauto-*  
*ribus meis aeternum devenerandis,*  
Disputationem hanc Inauguralem  
cum Voto prosperitatis omnigenæ devota  
manu confecro

*Humillimus Cliens*

JOH. JAC. HERING.

Nter reliqua Vitia, quæ Sanguinis  
Massa sustinet, ac ratione quo-  
rum cæterarum fluidarum ac  
impetum facientium partium  
Secretionem atq; productionem  
turbat, imo aliquando harum  
texturae notabilem labem affricat, solidarum et-  
iam functiones magis minusve evidenter eadem læ-  
dit, ejusdem quoque est Stagnatio Motusve per Ve-  
nas ac Lymphatica Vasa impeditus, qualem cau-  
sam concipimus in Inflammatione, Varicibus ac  
Membrorum doloribus, tumoribus, aliisque affe-  
ctibus lymphaticis, quos catarrhales communiter  
ajunt. Et Varicum Species quia non infrequens de-  
prehenditur Hæmorrhoidum ani dolorifica Intu-  
mescentia, quam Cæcarum Hæmorrhoidum nomi-  
ne designant: Affectus bujus Theoriam & Praxin,  
i.e. formalitatem & causas, Signa atque Therapei-  
am sub Dissertationis Schemate ac pro Specimine  
Inaugurali explicare contendam, idque sub Nutu  
Divino ac pro modulo Studiis meis Academicis  
congruo.

## §. 1.



Atitur scilicet **Intestinum rectum** inter alia pathemata bina imprimis, nomine uno, **Hæmorrhoidum**, designata, diversi tamen generis & naturæ: dum illorum unum sub **Morborum**, sive **tumorum**, alterum sub **Symptomatum**, fluoris seu **Excretionis** plus minus **præternaturalis**, Clas-

se stat; ac prius termino **Hæmorrhoidum cæcarum**, posterius fluentium sive apertarum venit. Imo habet etiam affectus prior hoc peculiare, ut fœminis cum Maribus contingat communis; dum fluentes hæmorrhoides Viris præ Fœminis familiares magis observantur, sive periodicæ, sive erraticæ existant: quamvis nec Fœminæ ab hoc fluore cruento omnino immunes sint, imprimis hypochondriacæ; in quibus aut menstruorum sive per ætatem ex causa præternaturali magis, suppressorum vicariæ deprehenduntur; ut ex *Hippocr. 4. Epid. t. 14. Heurnio in 6. Aph. 11. Brassavol. in Hipp. 5. Aph. 33. Hollerio ad Sect. 3. Aph. 30. Forrestol. 3. obs. 4. Sennert. pr. l. 3. part. 2. S. 2. c. 13. Miscell. N. C. Dec. I. ann. 3. obs. 22. & Act. Hafn. Vol. I. obs. 91.* constat; aut aliquando catameniis integris combinantur, horumque fluxum sequuntur, ut præter eadem *Miscell. Cur. l. a. Experientia quotidiana docet.*

## §. 2.

In specie vero **Hæmorrhoides ani cæcæ** seu **juxta Platerum** clausæ vel dolentes describuntur tubercula in **Intestino recto** livida, rubicunda, nodosa ac mollia, sive varicosa plus minus dolentia. Ita ut subjectum earum mediatum sine dubio existat dictum **Intestinum**, & quidem

dem modo ratione suæ extremitatis, quam afficientes Externæ, appellantur; modo profundioris sive altioris (internæ tamen pariter superficie) partis, ideo Internæ sive latentes nuncupatæ: immediatum autem Venæ illæ hæmorrhoidales internæ.

§. 3.

Ratione ipsius Intestini, hæc Pars affecta recte dicitur, quod venæ, tuberosa ac dolorifica illa inæqualitate laborantes, illius propagines sive canales revehentes sint: neque tamen hæc earum tensio seu distensio adeo dolorifica est, sed illarum demum tumorem comitatur dolor ipsius compagis Intestini, à distensione partis adeo sensilis hujusve fibrarum nervearum, seu tubulorum arteriis & venis intermediorum, exortus, quibus quo copiosius impingitur sanguis, eò potentius per resistentiam & contractionem vitalem illæ convelluntur, sive in crispaturas dolorificas cientur: imo fibrarum harum dolor, qui alias tolerabilis satis, superveniente, si stagnatio pertinacior fuerit, inflammatione, atrocior redditur, magis magisque divulsis iisdem. Venas autem immediate magis pati, i. e. in his stagnantem, sive lente magis per hæs motum, sanguinem tale quid patrare, color protuberantiarum harum ex rubro lividus cum varicosa intumescentia innuit, & confirmat pulsus in illis absentia, nisi forsitan dolor pulsatilis ab inflammatione superveniat; item, quod Chirurgia apertæ sive sponte fluentes, sanguinem stillatim & sine pulsu evomant.

§. 4.

Ex quo facile patet, vix differre Hæmorrhoides à Varicibus, venarum nodosæ intumescentiæ alias dictis, quatenus non tantum idem cum illis subjectum, venarum

nimirum extremitates, agnoscunt, sed eandem quoque cum illis figuram suscipiunt, i.e. tortuosam ac cellulosam, utræque etiam refluxum Sanguinis impeditum pro causa proxima habent, prout ex seqq. constabit.

### §. 5.

Surculi sive Radiculæ hæ venosæ in Venæ Mesentericæ Ramum sinistrum tantum, ut caudicem communem, terminantur, & quod Veteres ordinariè ac semper fieri asserebant, quasi vena hæc cum splenica communicaret, oppido falsum, aut non, nisi rarissimæ admodum, observationis est: Multo minus à Liene cruentem recipit. Quod imprimis notari debet, ne venam hæmorrhoidalem externam, quæ hypogastricæ, hincque cavæ, propago, aliquando hujus tumoris varicosi subjectum cum vulgo concipiamus, quasi internæ Surculi internas, externæ venæ radices externas, hæmorrhoides, producant, quem errorem in *Spiegelio*, *F. ab Aquapendente*, *Sennero*, *Bartholino* & plerisque observamus. Quippe, animadvertente *Magnific. Dn. PRÆSIDE*, *Preceptore* atque *Promotore* etatem devenerando, eo ipso, dum vasa hæc externa dicuntur, non ratione extremitatis podicis ad quam minime (si cutaneos & capillares eorum surculos excipias) exporriguntur, sed respectu ambitus intestinalis, utpote à cuius musculis, ejus superficiem exteriores, i.e. quæ os sacrum, vesicam aliasque partes extrinsecus accumbentes spectat, ambientibus seu in eam terminantibus, illa exurgunt.

### §. 6.

Hinc potius cum eodem *Doctissimo Viro* concludo, venas sub hæmorrhoidum cæcarum nomine intumescentes, tam internas, quam externas, eandem agnoscere

scere propaginem; Venam 'nempe hæmorrhoidalem Mesentericam seu Portæ: sub hac tantum disparitate, ut externæ hæmorrhoides hujus Radices inferiores, internæ superiores, sint, utræque nihilominus interiorem intestini recti canalem hujusve interiorem tunicam spectent, nisi forsitan venæ cavæ ramulos cutaneos, seu Spinchterem cutaneum subeuntes, pariter aliquando intumescere quis malit.

§. 7.

Et admiratione dignum, quod inter cæteros Scriptores, qui cavæ venas hæmorrhoidales eminentias ejusmodi dolorificas pati, afferunt, etiam *Hieron. Fabricius ab Aquapendente de operat. Chirurg. cap. de Hæmorrhoid.* hanc sententiam defendat, qui tamen (1) dum has venas non perinde, ac internorum ramum, recta deorsum descendere sed lateraliter ad anum exporrigi, venarum nihilominus rectitudinem seu perpendicularem situm has ad sanguinem promptius & impetuosius admittendum disponere, (2) easdem externas non in Intestini corpus, sed in musculos ejusdem ac cutem, finiri, ubi nihil est quod sanguinem in iis facile stagnare faciat, scribit, a communi Sententia recedere, aut ex his circumstantiis in eadem dubius ad minimum reddi, debebat; potissimum cum autopsia eandem destruat: aut si forsitan etiam has reconditas venulas varicosas intumescencias pati contingat, vix tamen exterius apparent, nisi tumore aliquo subcutaneo, ut plurimum suppurascente, prout *Wifemann Chirurg. l. 3. c. l.* perhibet.

§. 8.

Diagnosis hujus Mali facilior est in externis, difficulter internis. Externæ enim hæmorrhoides evidentes sunt

sunt & visu atque contactu dignoscuntur, quamvis etiam  
internæ aliquando extra podicem, conatu fæcum alvi ex-  
pressorio urgeantur, ac promineant: adeo quidem, ut  
non æque commode semper recedant, aut reponi queant,  
interdum tamen adeo profundæ seu altæ sint, ut conjectu-  
rari eas potius, quam deprehendere, liceat.

§. 9.

Utrumque scilicet Genus se primo prodit pruritu,  
mox dolore, primo tensivo hinc lacinante, hocque in-  
progressu ut plurimum acerbissimo & ardente satis, pro  
majore nimirum Venæ distensione, seu sanguinis in eadem  
stagnatione, ita ut, quo magis in Inflammationem vergit,  
dolor quoque magis exasperetur, & per vicinitatem seu  
continuitatem partium ad Vesicam ( ubi aliquando Urina  
supprimitur ) testes, ingvina & muliebria extendatur. I-  
mo intenditur idem per vices, dum ægri alvum deponere  
conantur, & quidem sæpe ad deliquium usque animi &  
convulsiones, remittentibus his symptomatis excretione  
stercorum facta, Vid. *Bartholin. Cent. 4. hist. 40.* & *Ett-  
müll. Pr. de Affectib. hemorrhoidal.* Cujus exquisitissimi  
doloris evitandi gratia evenit, ut ægri ejusmodi fæces præ-  
ter consuetum reprimant ac cumulent, neque supposito-  
ria, nec fistulam enematis, admittant, quin ab horum con-  
tactu insigniter lædantur. Externarum porro diversa de-  
prehenditur facies & habitudo, dum ratione molis earum  
aliæ sunt magnæ, aliæ parvæ; aliæ ratione figuræ uvis, mo-  
ris, verrucis ac piscium vesiculis similes, hinc annotante  
*Forsto 23. obs. 3. ab Alexandro Veronense* uvales, morales,  
verrucales & vesicales dictæ: harumque dolor inter se-  
dendum, ambulandum, imo decumbendum, majores mo-  
lestias infert, seu atrocius sævit. Color tuberculorum li-

vidus

vidus aut obscure rubicundus ut plurimum est, à sanguine quo turgent; aliquando tamen sero pituitoso ea scatere, imprimis Vesicales albescentes, præter *Forestum l. a. Paræus Chir. l. 12. c. 24.* testatur: aliquando molliora & flaccidiora, interdum turgidiora ac duriora, contrectantur, prout nimirum plus minusve distenta, ac crux in iis magis aut minus grumosus existit.

### §. 10.

In causa hujus affectus explicanda, quo majori difficultate hæc videtur implicita, eo negligentiores aut breviores deprehendo Autores, qui de eodem differuerunt, v. g. *Rein. Solenandrum*, *Rondeletium*, *Forestum*, *H. Fabr. ab Aquapendente*, *Platerum*, *Sennertum*, *Riverrum*; ne dicam quosdam eorum vix verbulo quidem modum, quo hæmorrhoides adstrictæ producantur, innuisse, reliquos nihil aliud egisse, quam ut sanguinem melancholicum, crassum aut fœculentum venas has dilatare, scripserint, dissentient nihilominus, & obscuri satis deprehenduntur in ætiologia ulteriore ac necessaria, i. e. in ratione colligendi ac remorandi eundem, tradenda.

### §. II.

Veteres siquidem, hypotheseos Harvveanæ, de Circulatione sanguinis, ignari, crassamenta hæc sanguinis per truncum harum venularum majorem ex Liene aut quibusvis Abdominis visceribus ad capillares earum extremitates deponi ibique ad dolorosam earum distensionem cumulari, uno ore docebant: diversa nihilominus hujus motus offendentes obstacula, nimirum quod vena hæc secus, ac olim sibi persuadebant, nec cum vena splenica, nec cum ipso Lienis viscere, communi-

cet, intestino non adferat, sed ab eodem reducat, sanguinem omnem vero, quem hæc capit, petat ab arteriis sociis seu Arteriæ Mesentericæ propaginibus, contradicente quamvis in hoc *Aquapendente* l. a. dum veniam hæmorrhoidalem internam (quam perperam Lienis vocat) nullam arteriam sibi comitem seu adjunctam habere, ait.

§. 12.

Pariter ex hoc ipso evincitur Sangvinem situm & mora hic peccantem, dum intra venulas recipitur, non esse alium à reliquo venoso sangvine, i. e. non crassiorem seu crudiores aut fœculentiores: Utpote qualem Splenum secernere, adhuc sub lite est, per Venam autem hanc ad anum eundem descendere, inhibet ejus cum vasis Lienis denegatum commercium (utut a Veteribus assertum) aut ad minimum modo producta circulatorii Motus regula, venas nempe non advehere, sed revertere. Multo minus in Sanguine, qui arteriarum oscula capillaria, tubulos carnium intermedios, præ exilitate insensibiles, & radiculas venarum maxime exiguae penetravit, ejusmodi licebit concipere crassitatem, quæ Motum ejus hinc ad Venas majores earumque caudicem impedire queat: dum eo ipso, quo cruori tantum relinquitur fluiditatis, ratione cuius exilissimos illos Meatus subit, nihil impedit, quo minus sub eadem sui consistentia per venas non strictiores, sed magis magisque latescentes feratur, potissimum, cum animadvertente *Rondeletio*, *Meth. curand. l. 1. c. 23.* & *Forsto l. a. obs. 3.* Sanguis ex his venis rejectus tenuis & splendidus cernatur. Quamvis nec Rationi omnimode refragetur, sanguinem sub stagnatione diuturniore intra venulas has

vari-

varicosas aliquatenus grumescere, perinde ac in reliquarum partium varicibus eundem nonnihil condensari aliquando observatum fuit: ut taceam, tubercula hæc sedis aperta sanguinem non semper æqualis consistentia fundere, sed cum fluido grumulos intermixtos. Hincque concludo sanguinem hunc venas hæmorrhoidales distendentem, per arterias adduci & crassitie p. n. haud peccare, seu suæ moræ causam existere.

§. 13.

Urgent pro Sententia communi defendenda & Crassitie præternaturali sanguinis hæmorrhoidalis confirmanda, communiter, primo, quod Subjecta hypochondriaca atque cacheœtica hæmorrhoidibus tam fluentibus, quam clausis, præ aliis frequentius sint obnoxia: deinde, quod per harum fluorem eadem ab hypochondriacis Symptomatis, alia à quartana, Epilepsia, pleuritide similibusque gravioribus pathematis, vindicentur. Verum enim vero dubia satis horum argumentorum consequentia videtur, quatenus non omnes æque hypochondriaci & Lienosi vel cujuscunque generis cacheœtici hæmorrhoides experuntur, nec soli hypochondriaci aut simili proctarxihumorum spissiorum expositi easdem patiuntur, dum, ut alia mittam, à sola aliquando causa evidente; v. g. Uteri gestatione, partu diffcili, tales eminentiæ dolorosæ eveniunt. Neque Morbos illos adeo promptè solvunt hæmorrhoides cæcæ, sed apertæ demum: inter quos tamen ejusmodi generis affectus observantur, v. g. Insania, Epilepsia, quorum causam continentem crassitiei Sangvinis imputare vix possumus. Imo quod hypochondriacis, quartanariis similibusque, penes quos sanguinem fœculentum seu Melancholicum peccare vulgo supponunt, hæmorrhoides

hæ furentes familiares magis sint, forsan non Morbo pri-  
mario seu causæ hujus proximæ, sed adjuncto potius &  
Symptomati cuidam, in acceptis ferri debet, ut ex sequen-  
tibus elucescet.

§. 14.

Minus igitur adæquata cum hæc Crassities Stagnati-  
onis videatur causa, aliam sibi conceperunt nonnulli  
Neotericorum, quasi nimirum acidum, in corporibus hy-  
pochondriacorum imprimis peccans, cum sangvine fibris  
intestini sensibilibus admodum suffundatur, quod has vel-  
licando in Stricturas Venarum, sangvinis Motum retrogra-  
dum sufflaminantes, cieat, donec hic Stagnatione sua illas  
inflet: quam Sententiam *Beatum Dominum Ettmüllerum*  
quoque suam fecisse, hujus Scripta eruditissima loquuntur.  
Cui etiam hoc addunt, quod, juxta *Hippocratem*, pituita,  
seu Serum, acidum ipsi met venarum osculis extremis se  
insinuando portionem cruris inexistentis coagulet, adeo-  
que obstruendo etiam ejus motum turbet & hæmorrhoi-  
dibus constrictis seu cæcis, occasio existat.

§. 15.

Ast nec hæc ætiologia, si modo illam recte capio, ne-  
gotium sufficienter exhaustire videtur: quatenus sæpius,  
ut modo dictum, sine ulla ejusmodi procatarxi & humo-  
rum acriorum seu stypticorum apparatu, à solis causis ma-  
nifestis Inflationes hæc dolorificæ eveniunt, ut mox consta-  
bit: neque acrimonia omnis, interduum sensilis satis: v. g.  
in diarrhoea biliosa, dysenteria, torminibus ac tenesmo, atq;  
semper easdem concitat, nec, nisi hypothesis hæc planius  
explicetur, constabit, cur eadem, non tam extrema Vena-  
rum atque arteriarum capillaria, quæ in tunicis Intestini  
finiuntur, quam earum ramulos majores, constringat,  
hinc-

hincque arteriosi sanguinis ad Venas decubitum potius interpellet. Multo minus coagulatorem ejusmodi heterogeneum ab arteriis, sibi habent, quod metuant venæ, qui stypticitate sua sibi & sanguini socio transitum ad has potius intercluderet, aut mox intra prima harum ostiolæ fermenti coagulatorii partes ageret, adeoque etiam hoc modo sanguinem in earum ramulis minus cumularet, i. e. non admitteret: nisi forsitan dicere quis mallet, apicibus venarum hac ratione infarctis, hinc appulsi ac impetu sanguinis arteriosi exclusis, cruem, venæ nonexistentes, haud ulterius ferri, sed stagnantem mole ac pondere suo ad sedem remeare, ad tumescientiam usque venæ hujusque propaginum extraordinariam.

§. 16.

Quo tamen, quid mihi videatur, pro Ingenii tenuitate adjiciam, præmonere volo, Venæ huic sedali internæ talem contigisse per naturam conformatiōnem, quæ ad ejusmodi Stagnatiōnem sanguinis inflativam magis disposita videtur. Scilicet primo perpendicularē magis situm seu ascensum à podice versus communem alveūm: cuius intuitu per venam hanc ad perpendicularē tardius ac difficilius sine dubio elevatur sanguis, perinde circiter, ac venas crurum præ aliis frequentius in Varices explicari, palam est. Deinde ipsa compages intestini recti, in qua illa radices figit, adeo laxa est, ut sibi relicta sanguinis per hanc motum naturalem, minus ac aliæ firmioris texturæ partes, v. g. Musculi, juvare queat. Quam laxitatem intrinsecam tertio non parum auget humiditatum frequentior ac uberior affluxus, i. e. receptivitati ejus adæquatus, & per quem leviores ejus lœsiones, sæpius in graviora mala abeunt. Imo quarto venæ hujus extremitates, quia non tam

in profundo Substantiæ Intestini reconduntur, quam prominent, & tenui saltem atque tensili admodum tunica obvelantur, facilius distenduntur atque lacerantur, perinde circiter, ac narium v. g. Venulas præ aliarum partium vasis sanguinem fundere, novimus.

§. 17.

De cætero nec improbabile est, hanc conformatiōnem, omnibus hominibus communem, secundum individua aliquantum variare, & ad sustinendas hæmorrhoides cæcas hæc præ aliis magis determinari, ita ut non omnes à partu diffīcili eas experiantur; aliæ contra in facili quoque & fere semper. Vid. *Forest. l. a. obs. 5.* v. g. juxta eundem *Forestum obs. 4.* per majorem venæ latitudinem, aut potius laxitatem, reductioni Sanguinis minus faventem: qualem similemve conformatiōnem peculiarem causam quoque puto, quod Familiis quibusdam harumve pluribus individuis, hæmorrhoidibus fluentibus æque ac furentibus laborare, quasi hæreditarium observetur & annotarint per experientiam *Solenander l.a.* atque *Forestus obs. 4. & 5.* licet forsan communis hæc familiarum in hunc Affectum propensio etiam aliquando identitatem humoralem agnoscat.

§. 18.

Quibus præmissis, de causa p. n. propinquiore ita judico, eam non unius sed diversi generis esse, hinc nec remotiores causas ad unam classem revocari posse. Sc. primo quædam harum stimulando stagnare faciunt sanguinem in venulis his, quatenus ab iis fibrillæ tunicarum Intestini sensiles valde, laceſſitæ seu enorū tensæ ad sui crispiationem irritantur, ut p. n. constrictæ venas pariter sibi intertextas constringant, sicque sanguini obicem

po-

ponant, quo minus Motu naturali per earum angustias  
remitteare possit. Qui stimulus modo externus & evidens  
magis est, v. g. à dígito violentius in anum intruso, ac fi-  
bras hujus ad dolorem satis ingentem divellente, Litho-  
tomi v. g. pro explorando vesicæ calculo, aut Obstetricis,  
pro partu juvando, cujus posterioris occasionis exemplum  
*Horstius l. 4. obs. 5.* tradit. Item Clysteres atque glandes  
acriores, qualium in vitio hoc concitando seu augendo ef-  
ficaciam *Dodonæus obs. Medicinal. 50. & Forest. obs. 6.* testan-  
tur. Multo magis purgantia acriora aut intempestive  
propinata, dum v. g. Scammonium & folia Sennæ cuidam  
recidivam hæmorrhoidum induxit *Scultetus Armam.*  
*Chir. obs. 76.* perhibet, & leniora quoque easdem exasper-  
rare, quotidianæ experientiæ est. Modo stimulus hic  
quoddam internum seu latens magis existit, v. g. acrimoni-  
a hypochondriaca similisve, ad Intestini tunicas aliquan-  
do deposita, quo etiam animadvertente *Rondeletio Metb.*  
*cur. c. 23.* calculus & ulcera vesicæ spectant, per consen-  
sum, qui huic & ano intercedit, irritantia non minus ad  
productionem hæmorrhoidum, ac ad tenesmum. Qua-  
lem tamen acrimoniam vellicantem rarius forsitan, ac  
communiter ajunt, in culpa esse, hoc persuadet, quod in  
casibus etiam illis, ubi fere solitarie accusatur hæc, v. g.  
in hypochondriacis, aliæ evidenter causæ præsto sint,  
v. g. Spasmi viscerum, alvi durities, quæ eandem mole-  
stiam podici creare queunt ac solent. Præterea & acri-  
monia hæc ita concipienda, quasi Intestini compagis ten-  
siliis non illam partem, cui extremitates venarum inter-  
textæ, sed quam ramuli paulo maiores subeunt, ea affi-  
ciat, ob difficultatem superius indigitatam: i. e. ne con-  
stringendo extremitates illas sanguini potius advehendo

aditum

aditum ad venas intercludat, quam ingesti motum ultiorem intercipiat; quamvis hujus contactus seu constrictionis punctum accuratius & à priore determinare, res ardua videatur.

### §. 19.

Altera propinquiorum Causarum erit compressio ejusdem Venæ, qualem præstant fæces induratae, harumque cum magno nisu excretio, causa reliquarum frequentissima, ut ex *Rondeletio l. a.* ac *Riverio observ. à Pachequo commun. 5.* legimus. Item Fœtus gestatio & partus difficilior, frequentius quoque tubercula hæc producentes, juxta *Rondeletium l. a.* *Horstium l. I. obs. 16.* *Forest. obs. 5.* & *Loffium l. 3. obs. 28.* Fæces quippe induratae & plus justo congestæ intestinum divellunt, hinc vel pressione vel parietum fibrosarum nimia tensione venam hæmorrhoidalem angustant & sanguinis per eam motum interpellant: & quidem eo magis, si cum molimine majore, vel ipsius Intestinorum Motus peristaltici, vel compressivi abdominis voluntarii, eas expellere quis annitatur, utpote qua ratione Sangvis sursum & ad portam tendens quasi simul retroagit & à truncō ad surculos minores ac terminum præternaturalem urgetur,

### §. 20.

Paulo aliter se res habet, si fœtus moles hujusve exclusio laboriosa magis hæmorrhoides moveant. Scilicet immediatè equidem comprimit Uterus imprægnatus Intestinum rectum & hujus venam internam, ast non solam, quin potius pluribus viscerum abdominis vasis molestus evadat: dum Varices quoque in cruribus Gravidarum, simili modo compressis nempe ramis cruralibus seu iliacis, producit, sicque Motum sanguinis per Cava non minus ac

Por-

tæ, ramos turbat. Partus vero difficilior non tantum, comprimendo idem agit, sed dum singuli ac diuturniores parturiendi conatus & parturientis adjutricis nifus non sine respirationis interceptione, Circulationis sanguinis conturbatione & vasorum plerorumque intumescentia notabili fiunt, quid mirum, si & hoc modo comprimantur & inflentur hæmorrhoidales Venæ ad prominentiam sui utplurimum.

§. 21.

Tertium causarum p. n. propinquarum genus puto tonum venæ sedalis laxatum, postquam scilicet aliquandiu præter modum illa distensa, aut turbæ ejusmodi recitatæ reiteratae fuerint, v. g. Gestatio frequentior: ita quidem, ut comprimentibus illis cessantibus, v. g. Gestatione, partu, maneant nihilominus eminentiæ hæmorrhoidales, aut ex levissima alia occasione redeant, dum v. g. Scultetus l. a. Hæmorrhoides, magna difficultate sublatas, ab usu purgantium recruduisse refert. Imo comprimentium causarum vix ulla, si partum laboriosiorem excipias, statim ac immediate venas sedales inflat, nisi tractu demum temporis, & ubi per illam eousque sensim sensimque dilatatae illæ fuerint, ut ad naturalem seu pristinam angustiam se adeo prompte recipere nequeant, perinde ac Vesicam, ab Urina diutius cumulata præter modum distensam, non rite ac prompte se contrahere posse, Experiens probat.

§. 22.

Præter Causas autem compressorias, tonum hunc Venæ laxant corporis Motus seu agitationes, super podice imprimis, vehementiores, subvectione aut equitatione successoria magis, imo ambulatio quoque concitator ac

C

diu-

diuturnior, qualem in quodam vitium hoc peperisse *Riverrius cent. 2. obs. 6.* afferit. Cujus quoque generis est flentium hæmorrhoidum à quacunque causa intempestiva suppressio, unde venulas has intumescere ratio ac Experientia evincit. Quod vero nonnulli addunt, quasi plethora sola quoque aliquando tumoris ac doloris hæmorrhoidalis causa sit, eidem Experientiæ refragatur: quemadmodum, nisi aliud quid combinetur, nec sola, nisi rarissime forsan, fluorem hæmorrhoidalem concitat, & natura per alias potius, quam hanc, vias illam deponere solet.

§. 23.

Ad Prognosin transeo, ubi, si hæmorrhoides valde crucient, non tantum de Intestini Inflammatione, apostemate, ulcere fistuloso ac gangræna metuendum, sed de convolutionibus quoque ac per Vigilias, quas dolores movent, de Virium langvore atque animi deliquio. In specie autem quæ tubercula hæmorrhoidalia partem Intestini, Vesicæ Urinariæ vicinam magis afficiunt, graviora observantur, dum hanc, ratione connexionis arctioris, in consensum cident, eique Inflammationem, Ischuriam atque Stranguriam inducunt: perinde ac in Fœminis, quo uteri collo eadem viciniora, eo plus quoque periculi huic minantur, obstrictius utriusque vinculum, imo prægnantibus abortum. Quæ autem non adeo tument nec dolent, minus periculosa observantur, ideoque naturæ potius committuntur, quam multis remediis vexantur: quemadmodum pariter minus malæ & felicioris Curationis comprehenduntur externæ, præ internis; cum his non adeo commode remedia applicare liceat.

§. 24.

Ob recensita E. symptomata & graviora pericula  
vitii

vitii hujus Therapeja maturari debet, instituenda secundum quinque imprimis Indicationes. Quarum prior respicit sanguinis, tanquam causæ, continentis æque ac antecedentis, aversionem, ne nimis justo cumuletur; secunda causæ remotæ sublationem; tertia doloris, tanquam Symptomatis urgentis, mitigationem; quarta tumoris ipsius hujusque causæ continentis solutionem ac eductiōnem, & quinta symptomatum reliquorum atque Morborum supervenientium aut conjunctorum Medelam. Quamvis his non successivè, sed quantum fieri potest, simul, satisfieri debeat, initium tamen curationis utplurimum ab aversione faciendo.

### §. 25.

Sanguinis congestionem inhibemus aut moderamur eum emittendo per Venæ Sectionem, primo in brachio hinc in crure adornandam, imo reiterandam, si dolor ac tumor à prima & secunda haud mitigentur ac Inflammatio immineat, aut ab hæmorrhoidum fluxu similive evacuatione solenniore suppressa tale quid contigerit.

### §. 26.

Causa remota tumoris seu congestionis sanguinis inflativæ proxima, quia non unius generis, nec remedia exigit eadem. Hinc quando communiter afferunt, quasi Hæmorrhoides in sua radice magnam cum affectu hypochondriaco cognationem habeant, ideoque cuncta illas convenient, quæ in hoc Morbo & pro viscerum obstructionibus reserandis adhiberi solent, haud universaliter concedi valet, v. g. in Fœmina prægnante, puerpera, aut cui ab intruso violentius in podicem digito, aut à glande acriore, talis molestia contigit: in quibus sane nihil hy-

pochondriaci fingere licet, hinc vana atque irrita forent  
Medicamenta v. g. Martalia, purgantia &c.

§. 27.

Quibus suppositis, utique svadeo aliquando acrimoniæ vellicantis & fibras crispantis deterionem, ejusdemque ex Intestino pariter, ac reliquo corpore, ejusve partibus, per Remedia, Cacochymia aut Cachexia peccantis adæquata, eductionem ac correctionem: adeo ut in hypochondriacis tota Medela ad digestionis primæ ac secundæ vitia corrigenda dirigi debeat; i.e. ut communiter loquuntur ad obſtructiones Viscerum, quacunq; demum ratione hæc in excitandis tumoribus hæmorrhoidibus agat, reſerandas. Porro si alvi durities seu fœcum ariditas in cauſa sit, harum emollitioni ac remotioni ante omnia incundendum, & male ſibi consulunt ejusmodi ægri, qui evitandorum dolorum, quos in affellatione exacerbari norunt, cauſa alvum deponere negligunt, imo cohibent. Quod quidem fieri debet per emollientia atque lenientia, modo per os propinanda, modo per guttur inferius infundenda: quamvis arctior atque dolorifica magis ani occlusio Clyſteribus & glandibus aliquando omnem aditum intercludat, aut non, niſi diſcillimum & dolorificum admodum, proin Medicamentorum tantum per os assumptionem, concedat. Quemadmodum aliàs pro humore acri avertendo, Remedium præſervatorium præſtans, dicitur Fonticulus tibiæ inuſtus, imprimis ſi ſolennior quædam evacuatio ſuppreſſa fuerit. vid. *Zacutus Lufit. l. 2. pr. admir. obſ. 82. Velschius Hecatost. 2. 80. & River. pr. l. a.* Pariter ſi acrimonia ab extra illata, v. g. enematis aut ſuppositorii, ad hæmorrhoides ſtimulet easve producat, aut acrius purgans eas moveat: talia adhibenda quæ acrimoniam leniunt, v.

g. E-

g. Emulsiones, decoctum passularum, seminis cydoniorum, lactucæ, malvæ &c. item olea aut pingvia quævis, quemadmodum *Dodoneus l. a.* illi, qui cæcarum hæmorrhoidum causa enema, cui Sal & Hiera admixta, incautè admiserat, & quidem cum doloris ac Inflammationis enor-  
miore intensione, aliud ex oleo violaceo paratum com-  
mendabat, in momento fere Symptomata levans ac tan-  
dem omnimode solvens.

§. 28.

De Morbi hypochondriaci curatione prolixiorem me  
in præsentiarum esse haud decet, pauca sufficient. Sc. quo  
purgantium tantum mitissima seu potius emollientia aut  
lenientia, propinentur, quod potentiora non modo plus  
humiditatis ad intestinum p. n. constitutum moveant, sed  
fibras quoque hujus laceffendo malum exasperent, admi-  
scendantur etiam alterantibus ac deobstruentibus vulgo di-  
ctis specifica, v. g. millefolium, Scrophularia, chelidon:  
minus &c. de quibus inferius dicetur.

§. 29.

Ast, quod sæpe totam curam in se convertit est dolo-  
ris Mitigatio, quam præstant topicorum alia constringen-  
do & ad flaccescentiam disponendo, alia emolliendo ac de-  
mulcendo, seu per vim anodynæ, seu specifica magis ra-  
tione, ut ex sequentibus constabit. Modo sub hac discre-  
tione adhibeantur eorum singula, ut, si dolor mitior, in  
principio seligantur leviter adstringentia; in incremento &  
statu, si dolor valde urgeat, magis emollientia & anodynæ,  
in declinatione vero, quo fibræ ani præter modum disten-  
sæ ac laxatæ ad pristinam habitudinem se promptius reci-  
piant, potentiora adstringentia ac roborantia admovean-  
tur v. g. Vapor aceti, crocus ♂ adstring. decoctum calcis vi-

væ, & aluminis c. vino rubro confectum, it. Spiritus vini camphoratus & Saccharum Saturni, ungvent. desiccativ. rubrum, de lapide calaminari &c.

§. 30.

Nimirum infiniti quidem numeri sunt, quæ à Practicis, pro tumoribus his dolorificis discutiendis, commendantur, quorum nihilominus usitatoria simplicia sunt verbascum seu tapsus barbatus, Malva, Parietaria, Scrophularia, Nummularia, Porrum, Cæpa, Linaria, Verbena, flores Sambuc. Chamomillæ, Semen Lini, Fœnugræci, Cydoniorū, Portulaca, Telephium seu fabaria, cuius oleum Mayerne pr. l. 3. c. 5. eundem in finem describit. It. Cortex medianus Ulmi, cuius c. tapso barbato decoctum Riverius obs. a Foncio communic. 43. extollit. Ex quibus parari possunt Sacculi, fomenta, Clysteres similiaque v. g. Cataplasma Aquapendentis ex plantagine parietaria & malva, cum oleo roses. decoctis; addendo, si potentius exsicandi mens fuerit, aliquid farinæ hordei ac milii. It. Cataplasma de micra panis cum lacte paratum, & cum viello ovorum atque croco temperatum. A. Riverio pr. l. 10. c. 11. commendatur decoctum Polypodii Q. & Hypericum vini & aquæ p. æ. it. folia Sambuci recentia ad putrilag. cocta. A. Fonseca l. a. Rulando Cent. 1. cur. 84. & Lotichio l. 4. cap. 1. obs. 1. sacculus ex glandibus & foliis quercus, aceto incoctis. Chelidonium minus hujusque flores conquassatione in Cataplasma redactos, & horum decoctum deprædicat Solenander loco sapius allegato. Millepedes cum pulpa pomorum acidorum subigunt nonnulli, dum alii pulverem ex antimonio, hermodactylis & bolo armena cum bombarce frequentius adhibent, aut ungventis appropriatis commiscent. Vaporem sempervivi cum vino cocti Riverius

cent.

*Cent. 2. obs. 6.* & vaporem aceti ac fumum casei Hollandici, prunis injecti, *Heurnius* 6. *pathol. Fernel. c. 11.* laudant. Frequentioris usus observantur mucilagines seminis psyllii, Lini, cydoniorum cum aqua solani, rosarum &c. paratæ & vel per se vel cum oleis ungventis aliisque admixtis, admotæ. Linimenta parari possunt ex Unguento Dialthæa, populeo, de Linaria quod ad miraculum hos dolores si-  
stere, ait *Horstius* c. 4. obs. 52. seque ejus descriptionem re-cepisse à Joh. Wolfio, Medico Hassiaco, qui Principi seu Landgrafio suo hoc secretum eximium revelare noluit, donec bovem saginatum annuatim ipsi promitteret. Cujus etiam generis est Unguentum de Verbena, alias Sacrum seu Jovis dictum, ac de Liquiritia: Item Unguentum quod ex scrophularia & telephio recentibus conquaßatis, cum butyro per 14. dies in cellam repositis ac tandem super igne deliquatis, conficitur. Ungventi de succo numulariæ & butyro singularem vim testatur *Rive-rius* obs. rar. 27. it. Linimenti ex Ungv. rosac. & Mercurio vivo prax. l. 1. c. 11. & *Cent. 3. obs. 7.* Unguentum ex oleo amygdal. amar. bdellio & Styrace liquida obs. alleg. ac ex pulvere antimonii & Litharg. cum. Ungv. rosac. obs. à *Fo-mio commun. 43.* Aliis placet Linimentum ex pulvere Cancrorum ustorum & Concharum mytulorum, cum axungia porcina & oleo appropriato conficiendum. A *Blanckardo collect. Med. phys. Cent. 1. obs. 37.* ac *Cent. 5. obs. 70.* commendantur duo Linimenta euporista, unum ex amylo cum aqua rosarum in gluten cocto, Unguento de Cerussa, Croco & albumine ovorum: alterum ex Emplastro Styptico & bals. Peruv. Carnem bubulam, in pulverem ustione redactam Ungventis admiscet *J. Fr. Loffius* 3. obs. 28. alii album græcum & Saccharum Saturni, it.

it. Camphoram. *Mayerne pr. l. 3. cap. 5* describit Linimentum ex Unguento populeo, Cochinella (quam specificum antihæmorrhoidale censet *Rbedi*) & Mercurio per fumum plumbi congelato: idem Autor oleum tradit ex Radice Telephii, item vernicem, quo pictores utuntur, ut singulare euporiston commendat, quasi hujus applicatione quoque sanatus fuerit Carolus V. a Muliere, nulla ope alias curabilis. Laudatur eundem in finem serum hircinum, oleum rosaceum, violaceum, verbasci, nucum, momordicæ, nucleorum persicorum & hyoscyami expressum. A *Gesnero* oleum commune, cui herba & baccæ Paridis incoctæ, & quidem in hæmorrhoidibus etiam cancrosis, à *Solenandro l. a. Fonseca l. 1. conf. 27. Borrello l. obs. 63.* & *Riverio obs. rar. 27.* oleum Scarabæorum stercorariorum & asellorum, sive cum oleo communi, sive nucum, rapistri, mastichis &c. infusum, quod ex asellis magis compositum reddit *Mayerne l. a.* Cineres Suberis combusti cum oleo rosaceo, epatis mustelæ piscis & vitello & vorum miscent *Forestus, Hartmannus &c.* Secretum eximum multoque usu comprobatum pronunciat *Fonseca l. a.* balsamum sulphuris therebinthinatum cui non immerito substituitur balsamus sulphuris Rulandinus. Imo hujus generis topica plura ex Autoribus vel allegatis, vel aliis adduci possent, nisi tedium Lectoris B. declinare mallem.

### §. 31.

Ratione modi utendi tantum adhuc notetur, ut cuncta hæc admoveantur calide, & quidem sub fotus, sacculi, linimenti. clysteris aut suppositorii forma, prout magis prominent, vel latent hæc tuberculæ dolorificæ: imo eorum vis ali quando per narcotica exaltetur aut hæc

cum

cum illis alternent, v. g. Cataplasma ex foliis Solani, re-center contusis, emulsio ex semine papav. albi parata cum decocto quodam appropriato v. g. Verbasci, aut quam Mayerne l. a. compositam magis tradit, hujusve unguentum ex Stramonio spinoso Peruviano. Oleum buxi in eodem dolore laudat Fonseca l. a. quod perinde ac dentium, hunc quoque ad miraculum sistat, tam per se, quam cum oleo Lini mixtum. Valet pariter emulsio & oleum expressum seminis Hyoscyami, & instar omnium ipsum Opium, cum sevo hircino v. g. ad mentem Amati Lusitani Cent. 2. curat. 91. vel juxta Rhodium Cent. 2. obs. 94.; lac chalybeatum, cui folia hyoscyami incocta addito succo cydoniorum: cavendo saltem, ne ab ejusmodi stupefactoriorum nimio seu frequentiore usu podex ad paralysin usque torpescat, advertente Selenandro l. a. Alias tumores hos consumit aut saltem notabiliter reprimit, si nempe absque Inflammatione ac dolore notabili afficiant, annotante Rhodio Cent. 2. obs. 94. ac Sculteto armam. Chir. tab. 44. ferrum candens, sive latum, sive alterius cujusdam figuræ adæquatæ: si nimurum hoc illis eminus tantum & sine contactu immediato admoveatur, ut ejus tantum calorem ad bonam usque tolerantiam percipient ægri; utpote qua ratione hæmorrhoides in momento corrugantur & quasi reprimuntur, pari scilicet ratione ac vaporem acetii; aut juxta Riverium, fumum sulphuris hoc præstare, per experientiam innotescit.

### §. 32.

Eundem in finem, sc pro tuberculis his insensibiliter magis solvendis horumque dolore temperando, à non nullis Practicis bonæ fidei exenarratis simplicibus vegeta-

D

bili-

bilibus quædam interne propinantur, quorum rationem agendi quamvis determinare non audeam, nec conatus fuerit eorum ullus, nisi forsan dicere sufficiat, robur seu tonum partis læsæ illa restituere ac firmare, quo ad reprimendum aut repellendum per venam sanguinem se promptius accingat: unum tamen vel alterum, svasu scriptorum adeo celebrium adjicere volui. Ita se vidisse perhibet *Solenander l.a.* Medicum quendam Empiricum, Schnellenbergium, omne hæmorrhoidum genus curasse, per chelidonium minus illud cerevisiæ infundendo: porro de Chirуро quodā scribit, qui in hæmorrhoidibus tumentibus pariter ac fluentibus crassulam majorem ac scrophulariam, sc. cum herbis radices concisas, in Cerevisia maceravit, hancque Cerevisiam mane & vesperi bibendam dederit. Quod de Scrophulariæ Radicibus ac foliis *H. ab Heer* itidem obs. 20. asserit. Millefolii decoctum, loco potus ordinarii per mensem integrum aut diutius assumptum, ab hæmorrhoidibus liberare. *Obs. à Pachequo comm. 5. Et prax. l.a.* testatur *Riverius Eporiston Villanovano* olim notum. Alii semen trifolii hæmorrhoidalis, tapsum barbatum, flores sulphuris, Antimonium crudum, item Pilulas de Bdellio assumere jubent, quasi horum frequentior usus Hæmorrhoides absumat, quorum singulorum fidem experientiæ commendando. Quoad virtutem tamen Scrophulariæ testem provoco *B. Etmüllerum*, qui in *Praxi de Affectib. hæmorrhoid.* ita scribit: *Curavi Mulierem juvenculam, quæ occasione primi partus difficilis, hæmorrhoidum cœcarum dolorosissima pathemata contraxerat.* Durabat hoc Malum annum integrum. Post partum denuo gravis facta, longe pejus se habuit, non secus ac in subsecente puerperio, ita ut interdum ad plures dies alvum suppressum cogeretur, metu insani hæmorrhoidi-

*morrhoidalis doloris. Suppurabantur interdum (ni fallor  
hemorrhoides) & gravi cum dolore pus fundebant. Huic  
tentandi gratia tempore autumnali totam scrophulariam  
plantam transmisi, ut Radices quasdam femoribus alligaret,  
alias unacum foliis incisas ac nodulo inclusas cerevisiae infun-  
deret, & inde ordinarie biberet, folia quædam minute conci-  
sa omni matutino tempore, cum butyrato pane, assumeret:  
borum usu per unam alteramve septimanam continuato,  
egregie convalescere.*

§. 33.

Ast quia interdum cuncta hæc irrita observantur, tumores hi aperiendi, quo sensibiliter magis educatur sanguis in iis stagnans: quod fieri imprimis debet in ejusmodi subjectis, quibus alias fluere solent, aut ex causa aliqua suppressæ fuerunt. Instrumenta, huic negotio appropriata, observantur tam interna, quam externa. Interna recensentur Aloe, Myrrha, hincque paratæ pilulæ Ruffi ac Aloephanginæ, it. Elix. Propriet. ac cuncta Men-ses pellentia communiter dicta. De Aloe siquidem & ex ea paratis observarunt Practici, quod non tantum in illis, quibus hæmorrhoides consuetæ, fluorem earum moveat, sed alios quoque, eidem excretioni minus assuetos, ad hunc disponat, ita quidem ut repetitus eorum usus frequentius ardorem ac tumorem ani excitet, antequam fluxus sequatur. Adeo ut annotante Fonseca ex centenis, pilulis aloeticis frequentius utentibus nonaginta hæmorrhoidum fluxu laborent: qualem abusum pariter aloes inter causas refert, cur Venetiis Patavii aliisque Italiæ locis adeo frequens sit ille. Addunt his potentiora purgantia v. g. Scammonium, colocynthidem, de quorum tamen usu notetur, eum periculosem valde existere, utpote hu-

morum affluxum ad Intestina, hincque tumorem atque dolorem hæmorrhoidum intendentem: illisque proin potius substituenda erunt Martialis. Externorum pariter diversa huic scopo inserviunt, & primo quidem Medicamenta acria, sc. cæpa, aloe v. g. illarum succus, in quo aliquid aloes solutum, radix cucumeris asinini, cyclaminis, de cuius succi efficacia vid. H. ab Heer obs. 6. Radix Ari bryoniæ, Sem. Staphisagriæ, pulpa Colocynthidis, fellæ animalium: quæ vel prominentioribus hæmorrhoidibus imponuntur, aut hæ iisdem fricantur, vel injiciuntur, ac immittuntur sub forma clysteris seu suppositorii, v.g. dum paratur Clyisma ex decocto colocynthidis, aut ex aceto fortiore, felle bovino & aloe; aut glans ex radice cyclaminis, hiera dia-colocynth. cum Melle inspissato, aut ex pulvere colocynthidis amygdalis amaris & Melle, de quibus similibusque videantur Rondeletius Meth. cur. c. 23. Hartmann Prax. Chymiatr. p. 205. Et Ettmüllerus l. a. Addunt his frictionem tumoris cum foliis ficus, quorum asperitas sensibilis lacерare videtur ejus tunicas. Cunctis tamen his applicandis præparatione partis affectæ aliquando opus est, videlicet ut tubercula indurata emoliantur, quod fit in sessibus vel fomentis emollientibus lacti in primis incoctis. Quamvis Experientia Practicorum celeberrimorum testetur ejusmodi rumpentium applicationem aut semper non sufficere, aut acrimonia sua dolores atque inflammationes intendere: hinc illis tantum talia competere, quibus aut aliis fluunt, aut fluentes suppressæ fuerunt Hæmorrhoides, aut in quibus, v. g. quod hæ minus emineant, aliis instrumentis uti non conceditur. Et sanguinem citius, tutius ac jucundius educemus vel scalpello, vel hirudinum adnotione, Lanceolæ etiam anteferendarum.

### §. 34.

Restat quinta Indicatio, nimirum ut Morborum atque Symptomatum supervenientium quoque habeatur ratio, qualium frequentissima sunt hæmorrhagia, ulcera, gangræna, tenesmus, & procidentia ani.

### §. 35.

Scilicet aliquando apertarum fluor adeo commode reprimi nequit, per leviora v. g. lintermina combusta, pulverem Gallarum, sed transire ille jubet ad potentiora. Qualia post sanguinis Missiones revulsorias sunt adstringentia, tam topica quam assumenda. Topicorum ejusmodi multifaria sunt, ex Materia Medica petenda, & inter hæc pariter aloë ac suber, una cum Mumia, item glacies scissilis: quemadmodum nec internorum farrago de-est, inter quæ forsan primas teneat terra Vitrioli dulcis, la-  
pis hæmatites, Tinctura sulphuris Vitrioli & mixturæ seu potionis ad mentem Sylvii adornatæ, ex decoctis vel aquis appropriatis, aceto, ac pulveribus absorbentibus seu ad-  
stringentibus v.g. speciebus de terra sigillata aut de Carabe.

### §. 36.

Contingit porro non raro suppurascere & exulcera-  
ri hæmorrhoides, atque hoc quidem cum maximo dolore  
ac corrosione putrefactiva aliquando. Ulcera ejus-  
modi opus habent potenter exsiccantibus, & quidem sine  
mordacitate hoc agentibus. Hinc primo detergantur cum  
fotu aut injectione Lactis, decocti hordei aut Malvæ, post-  
modum applicentur mundificantia & exsiccantia itidem  
mitissima, v.g. Oleum ovorum in mortario plumbeo agi-  
tatum; Unguentum Nutritum commune, de Cerussa, dia-  
pompholygos, album camphoratum aut desiccativum ru-  
brum, alternando hæc aliquando cum balsamo sulphuris  
Rulandi, aut cum oleo hyperici seu ovorum confecto, vel

hoc illis commiscendo. Mirabile est quod Boyle depraedit, Linimentum ex auro fulminante & oleo amygdalarum dulcium, quod tamen quia preciosius, auro substitui potest Sulphur auratum Antimonii. Demum conspergatur ulcus pulvere nucum cupressi, balaustiorum, aloes, tutiae ac pompholygis, & anus fomentetur decocto ex fl. Salv. Rosarum, hyperici, summitatibus anethi & nucibus cupressi cum vino parato. Eadem similiaque si ulcus altius fuerit, ano siphone injiciuntur, aut cum balanis seu turundis commodis immittuntur, una cum succo solani, plantaginis & equiseti in quibus tantillum Sacchari Saturni solutum fuerit.

### §. 37.

Quia tamen Ulcera hæc interdum sordida evadunt, aut in fistulas abeunt, in ejusmodi casu apprehendere jubent ferramenta ignita *H. F. ab Aquapendente ac Scultetus*, illa potentius exsiccantia: quæ pro diversitate Situs, i. e. pro ut vel externa vel interna magis illa fuerint, diversæ figuræ; scilicet non cannulata pro externis, cannulata pro latentibus observantur. Ita ut externis sufficiat Cauterium ovale Hippocratis *a Sculteto tab. 19. fig. 6. & 7.* depictum; interna autem postulent, si minus profunda seu superficialia, cannulam solidam nullibique perviam ac *tab. 21. f. 5.* delineatam, quæ frigida & albume ovorum oblita ano immittitur, huicque bis vel ter intruditur stylus ignitus *fig. 8.* quo ab immediato equidem ignis contactu defendatur intestinum, exsiccantur nihilominus a calore ejus satis potente Ulcera. Quod si vero minus superficiale seu profundius ulcus redditum, cannula in latere perforata *juxta fig. 6.* itidem frigida anno intrudatur, ita quo foramen partem exulceratam respiciat, cui idem stylus candens aliquoties immittatur, sicque

sicque potentius, tuto tamen & illæsis partibus vicinis, aduratur idem: operatione autem ubique peracta Ulceris reliquæ primo lenientibus, pro crusta introducta tollenda, tandemque exsiccantibus tractentur.

§. 38.

Gangrænosi si evadant tumores hæmorrhoidales, quod in Corporibus cachecticis frequenter evenit, & quidem interni, spes convalescentiæ, imo vitæ, decollat. Sin externi, fomentari possunt decocto ex Scordio, summitatibus Quercus, Absinthio, Lupinis, Radice Ireos, Vitriolo, Thure, camphora &c. cum lixivio aut vino, vel utroqve simul parato, rescindendo simul eorum maxime corruptos, reliqvos scarificando, aut iis hirudines applicando. Qvo facto Unguentum Ægyptiacum in vino calido aut Spiritu vini solutum cum plumaceolis admoveatur, postquam eadem solutione pars læsa probe elota fuerit, defensionis gratia interim ano injiciendo oleum Lini, Verbasci, aut violaceum, ac desuper ponendo fotum indigitatum, donec mundificantibus, ac consolidantibus medelam Ulceris consumere liceat. Conveniet etiam hæmorrhoidibus his gangrænosis cauterium olivare, de quo modo dictum.

§. 39.

Nec demum Tenesmus ac ani procidentia tumoribus his exulceratis ac gangrænosis adeo infrequentia. Symptomata deprehenduntur, quorum prior posterioris causa ut plurimum existit: dum Spinster ani ab excernendi illo dolorifico atque assiduo conatu, hinc crebriore sui distensione, eousque relaxatur, ut interior ejus rugosa Tunica extrorsum ac deorsum cum tumore notabili, vertatur, qualem egerendi stimulum dolor illorum præstat.

flat. Malum hoc est sub his circumstantiis difficulter aut tantum non curabile, vel quod ulcerosa hæc dispositio mali satis moris sit, vel quod nimia distensione relaxatus cum tunica Intestini ani clausor non adeo prompte ad naturalem tonum reduci queat. Habita nihilominus ratione Ulceris hujusqve conditione fomentetur pars decocto pariter summitatum Anethi, florum Hyperici, Salviæ &c. de quo, ubi de Exulceratione Hæmorrhoidum agebatur, dictum, ipsi addendo folia Sumach aut hujus Extractum, demulcendo insimul acrimoniam, Intestinum vellicantem, per insersionem ac injectionem olei hyperici: donec tumore subsidente anum reponere concedatur, methodo ex Chirurgicis haurienda.

S. D. G.



FACULTATIS MEDICÆ  
IN  
ACADEMIA LIPSIENSI

p. t.

Pro-Cancellarius,  
D. JOHANNES ~~Goh~~ohn/  
Therap. Prof. Publ.  
*L. S. D.*



I Chymia Encomia scribere hujusque Præstantiam prolixiore sermone explicare præsentis instituti foret, in documentis argumentisve inveniendis parum laboris mihi foret consumendum: vel quod ipsa Natura rerum per infiniti numeri ac generis phœnomena pro summa & infinita ejus efficacia loquatur, hancque evincant totidem experimpta per illius manipulationes observata & Scientiæ Naturalis abstrusiora hinc inde evolventia, ut à Mesue jamdum Chymici appellati fuerint, qui, quæ occulta sunt in rebus, manifestant, & à Nonnullo Chymico Scriptore Gallo *Chymia Scientia Naturæ ipsius* dicatur; vel quod Medici pariter de ejusdem in Arte sua insigni glorientur usu. Quod nihilominus, quia nunc muneris mei haud reor, sufficiat binorum tantum Celebrium Scriptorum autoritas, Matthioli nempe ac Libavii, quorum Prior, in *Epistola quadam ad Andr. de Blau, neminem, inquit, Medicum absolutum esse posse, imò nec mediocrem quidem, qui in Chymia non sit exercitatus,* alter in *Præfat. nuncupat. ad Alchym. scribit, illum Medicum, non posse dici magnum, cui Alchymia non sit magna:* nec ullum, qui, quantum inveniendis rebus Medicis, per hoc tantum seculum præstiterit hæc omnibus laudibus superior Ars, novit, aliter sensurum & plura ejus testimonia à me postulaturum confido. Sicut autem inventionem ac præparationem multorum remediorum imprimis, adeoque partis Pharmaceuticæ augmentum spectatissimum, Pyrotechniæ in acceptis ferimus, ut pote per quam efficaciora ac gratiora producta aut redditia fuerunt infinita medicamentorum genera: ita nec adeo paradoxus, nec in Artis nostræ singulare Decus & Adjutorium injuri-

us videbor, si asseruero nihilominus, Chymiam Officinis introduxisse, Medicis verò ac ægris obtrusisse multa præparata, quæ ut ut præ aliis nō majoris efficaciæ sint, magno tamen labore & sine judicio formata ac virium stupendarum laude atque titulis decantata observantur, i.e. Chymicos aliquando magno conatu magnas nugas egisse & adhuc agere, atque hoc quidem vel ex pia simplicitate, vel libidine officinalia multiplicandi pruriginosa, vel pro incrustandis suis minorum gentium arcanis, vel ex gloriæ vanæ cupiditate, vel alio quodam affectu, seductos. Censores severos illi se hactenus gesserant Dispensatoriorum Galenicorum horumque præparatorum, tam simplicium, quam compositorum, quasi iis hinc inde multæ subeffsent ineptiæ & ignorantiae partus, ut vel ex solis *Zwelferi in Pharmacopœiam Augustanam Animadversionibus* videre est: merentur sane iidem pariter aliorum virgulam censoriam strenuam horumque processus, ut appellantur, aliquando inconcinni, vani, illusorii & non, nisi ad tempus, carbones ac sumptus fallendos, utiles, ut jure forsan cum *Anton. Guntbero Billichio*, primo incompositarum deerrationum Chymicarum animadversore, exclamare liceat, *nullibi magis quam in Chymia, Chymiam*, i.e. congrui ab incongruo separationem, desiderari. Jactat separandi artificium, quæ non raro summa imis miscet & antiquum Chaos reducit, cuius opere & opera innumeræ propemodum gravissimæque hinc inde confusiones, accuratarum separationum nomine, irrepserunt atque in tantum creverunt, ut, velut in præstigiatorum tricis apinisqve ipsa jam delectet fallacia. Ingens hujusmodi laborum & productorum Chymicorum, quibus impensa opera inutilis, sumptus frustranei & vis agendi exilis, seu præ reliqvis haud major observatur, farrago, quæ sub dispari larva unum idemqve occultat, cui tamen recensendæ aut excipiendæ pagellæ hæ impares existunt. Nolo hujus loci facere totidem Salia alcalisata vegetabilium, Cardubenedicti, Fumariæ, Genistæ, Absinthii, Centaurii, Euphrasiæ,

Fœniculi, Petroselini, Ononis, Artemisiae, Pulegii &c. quorum unum forsan pluribus æqvivaleat, aut Sal Tartari simplex, aut breviore manu ex Tartari & Nitri p. æ. paratum, succentur: qvemadmodum supervacaneum quoque judicant catalogum salium urinosorum adeo prolixum, quo Officinæ molestantur, mecum Cordatiæ, Cornu-Cervi sc. Serpentum, Bufonum, Sangvinis, Cranii & Urinæ humanæ, Eboris, Mandibuli Lucii, &c. una cum iis, quæ per putrefactionem ex herbis ac floribus hodie producuntur, pyxidibus & vasis distinctorum, odore, sapore & virtute sibi conformium, hinc Spiritu aut sale volatili salis armoniaci, unius horæ labore, compensandorum. Acido salsa potius seu Neutra & horum exuperantem numerum pensitemus, Tartari nimirum Vitriolati, Tartarisati, Nitrati, Arcani duplicati, Terræ seu Salis foliati Tartari, Lapidis prunellæ, Salis Nitri Polychresti, Salis Febri-fugi seu Hypochondriaci ex Capite mortuo Spiritus Salis Armoniaci residui & similium. In quorum varietate eidem non vitupero illud Autorum eorum inquirendi atque inveniendi studium, viribus tamen in debellandis affectibus p. n. horumque causis, quod evidenter discrepant, mihi persuadere nequeo, dum ex unius generis partibus essentialibus, acido nempe ac lixivioso seu urinoso salibus, coagmentantur, & uniformitatem eorum ratione effectuum testatur experientia. In specie quoad Tartarum Vitriolatum, emendare ejus confectionem annitebantur *Tachenius* & post hunc *Viganus*, ambo Spiritui Vitrioli solutionem hujus mineralis substituentes, sicque acidum Vitrioli à particulis Venereis, sibi intertextis, (ut ipsis videbatur) magis liberantes. Verum quamvis has illorum, præparationes cavillandi mens haud sit, an nihilominus anteponi debeant vulgari, haud apparent, nisi forsan in hoc, quod sine Spiritu Vitrioli tædiosa destillatione fieri queant: quippe dubium manet, an metallicæ substantiæ cum acido sulphuris, cui intra venas terræ nupserat, vinculum tale sit, cujus per meram

præci-

præcipitationem promptius, ac per destillationem, divortium fieri possit; cum etiam ex tartaro Vitriolato Tachenii regeneratus spiritus cuprea tinctura ferramenta sibi immersa tingat. Nec, dum loco Salis Tartari fixi Spiritum seu salem volatilem, Urinæ, Cornu-Cervi aut Salis Armoniaci in ejus confectione adhibet *Viganus*, multum prærogativæ suo Tartaro vitriolato conciliabit, nisi quod vulgari ac Tachenio minus amaricet, absorptum siquidem est in cunctis horum ab acido Vitrioli Sal urinosum pariter ac in sale Ammoniaco vulgari. Tartarum Nitratum alii parant ex æqualibus Nitri & Salis Tartari partibus cum aqua solvendis ac simul crystallisandis; alii cum spiritu Nitri sal tartari saturant: utriqve sal salsum conficiunt, sub hac quamvis disparitate, ut posteriores Nitrum capiant, priores sal magis compositum. Atque illud qvidem Nitrum verum, seu cum nativo idem esse, Boyle jamdum *de Nitri redintegratione* docuit, asserere hoc veretur *Viganus*, aut certe hæsitanter tantum concedit, ideo qvod pulvis sclopetans, ex ejusmodi Nitro artificiali paratus, nullum strepitum edat: cui tamen experientia refragatur, qva cuivis innotescet negotium tentanti, Nitrum hoc non tantum per se ad contactum carbonis rapidissime deflagrare, sed cum Sulphure & Sale tartari in pulverem redactum maxime fulminare. Tartarus Tartarisatus ac Terra foliata Tartari præ cæteris hujus generis salibus hoc peculiare eqvidem sibi vendicant, qvod in liqvore frigido non minys ac calido prompte solvantur: ideo tamen virtutem medicamentosam potentiorem illis promittere haud licet. Sal Prunellæ qvid præter Nitrum est? sapore enim & frigore, quo lingvam ferit, stiriis, in qvas per crystallisationem abit, ac defligratione ad carbonem strepente se prodit hoc: ut proin non habeant, cur metuant hinc, quasi à falso magis, Anginosi, nec cur his adeo dissuadeat, ejus usum *Tachenius*. Ad alcali quanto propius inclinat Sal polychrestum, tanto longius à Nitri textura recedit, utpote ex æquali portione Sulphuris ac Nitri

conflatum ; dum in sale prunellæ Nitri libræ uni Sulphuris drachma una respondebat. Sal hypochondriacum à sale communi vix differt, nisi qvod penetrantius paulo: hinc ipsi Sali Armoniaco, cuius residuum, haud anteferendum.

Cinabarim Antimonii ex Mercurio Sublimato ac Antimonio paramus, eam Cinabari vulgari tutiorem atqve efficaciorum credentes, ac, ne color deficiat, reiteratis sublimationibus ad rubedinem splendidiorem elevantes : qvamvis non raro contingat, vani hujus splendoris causa, totum hoc concretum perdi, aut sensibiliter imminui i. e. comburi. Verùm qvid opus est hoc molimine hocqve decomposito ? dum Natura non tantum in venis subterraneis, ex simplicioribus Mercurii & Sulphuris fumis, Cinabarim format, nativam dictam, sed ex Sulphure communi & Mercurio currente super ignem mixtis sublimare licet corpus minerale ejusdem cum Cinabari nativa & Antimonii texturæ, hinc ejusdam forsan qvoqve virtutis : hactenus eqvidem à Medicis, qvoad usum internum, neglectum ac damnatum, ast sine causæ cognitione. Neqve enim Sulphur illud Antimonii embryonatum Sulphure communi præstantius est, aut ullam præ hoc prærogativam habet, ut inferius ostendam, neqve Mercurius in sublimato fixatus, si qvam habet, malitiam deponit : sed utrobiqve concurrunt Sulphur & Mercurius ejusdem generis : nec in Cinabari Antimonii alia est textura ac in Nativæ & Artificiali pictorum, neqve partium componentium arctius vinculum, cum encheiri si facili cunctæ resolvantur in sua elementa prima ; per consequens vix assequor, qva ratione Cinabaris artificialis communis seu Officinarum unqvam arsenicalis & qvæ Cinabari Antimonii non sine miseranda mortalium clade substituatur, dici queat. Non enim est, qvod salivationem metuant ab illa, dum in suffimigiis administrata talem moveat ; præstat eandem Cinabaris Antimonii fumus, tuto tamen & cum euphoria propinatur hæc : siqvidem alia facies est Cinabaris integræ, alia in fu-

mum redactæ, cujus vapor Mercurialis seu in minima divulsum Hydrargyrum massam sangvineam aliter longe exagitat, quam Cinabaris in substantia assumpta, ac ipse Mercurius currens, in majore & unciarum multarum quantitate, in Iliaca v. g. passione, absqve superveniente salivatione, aliove symptome deglutitus. De cœtero vanæ & lusibus non absimiles videntur rectificatoriæ Cinabaris Antimonialis sublimationes, qvibus mineum & splendentem magis illi illinire tentant nitorem, cum dispendio vasorum, carbonum temporis ac ipsius sublimati, aliquando omnimoda hujus deflagratione, institutæ, & à qvibus profecto, (si unicam forsan excipias) nihil puritatis, perfectionis, exaltationis aut fixationis est expectandum: cum sola mixtura Sulphuris & Mercurii currentis intra horulæ quadrantem, Neotericorum sub aquilæ nigræ nomine inventum, formata, idem omnino præstet, ac Cinabaris Antimonii toties rectificata & infantibus quoque secure satis offeratur, in fraudulentas vero nonnunquam enchirises abripiat vanæ gloriæ in exaltanda Cinabaris purpura.

*O formose puer, nimium ne crede colori.*

Pariter quantas nærias sub calcinatione Antimonii cœlica, quam vi radiorum solarium, per speculum uestorium concentratorum, magna superstitione adornant, non canunt, qui sublimioris ingenii & cerebri, si non cœlestis naturæ, ἀναλόγα tamē τῷ τῷ ἀσέων σοιχεῖων, videri capiunt. *Poppii* siquidem, *Bartholeti* aliorumque est traditio, à magico hoc igne seu physica hac calcinatione Stibium pondere augeri & diaphoreticum evadere, dum culinaris multum ejus substantiæ rapiat, ad evidens quoque ponderis decrementum ac emeticam facultatem ipsi imprimat vel evolvat. Quibus equidem causam dicit *Orthelius in verbis. Maria Prophetissa explicat.* hoc modo: mediante hoc speculo incensorio multæ res aliæ, maxime verò res minerales austere fera sua cruditate per Solem exuuntur & ad maturitatem instar mellis dulcem & sanitati proficuum rediguntur:

guntur: experientiam tamen repugnantem inveniunt, dum carbonum quoque ignis diutius aut brevius admotus calcem hanc modo vomitoriam, modo diaphoreticam, reddit, immunitur quoque per ignem superlunarem æque, ac sublunarem ejus pondus. Suspecta pariter est calcinatio Ossium, Cornuum & his analogarum partium, duriorum, dum in aqua decoquuntur eadem, donec friabilia evadant: quam ideo philosophicam ajunt minus sapientes, i. e. talem, quæ Cornua, Ungulas &c. substantia sua activa, seu Sale volatili minus exuat, ustio contra ea his omnimode spoliet. Ast quæro ex his Philosophis, nonne, quod Mulierculas nostras haud latet, sub calcinatione hac immersiva ex his animalium partibus durioribus gelatina evocetur, & per viscidi hujus glutinosi extractionem compages illorum adtritum sustinendum præparetur? quam Gelatinam Sal vol. atque oleum, seu principia illorum activa in sinu suo gerere, inde evidens fit, quod destillationi exposita easdem substancias exhalet, Cornua verò, dentes atque unguiae hac ratione decocta, seu spagyricæ calcinata, si ignis examini exponantur, nihil, aut parum admodum, salis & olei deponent, i. e. perinde fere, ac usta, se habeant, ex quibus hæc sub forma fuliginum, fuerunt propulsa. Plus subtilitatis sibi alii promittunt ex calcinatione vaporosa, si cornua nimirum similiaque capitello vasis destillatorii ita immittantur, ut aquæ, in vesica v. g. cuprea, ebullientis vapor, sicque per aliquot dies continuata destillatio intimius penetret illa & quasi decoquendo friabilia præstet. Sed falluntur etiam hi spagyrici, ac tempus cum carbonibus fallunt, dum destillans per alembicum aquositas corporibus illis mucilaginositatem pariter eluit, eamque simul per rostrum suum ad excipulum abripit, ac si in illo vasorum fastigio ab aqua ipsa excocta fuisset, tardiore tamen ac tædioso magis motu, quam evaporatione sui ad spissitudinem congruam facta reddit. Vaporosa E. hæc calcinatio eadem est cum immersiva, illa quam is difficilior, neutra earum

ustion

ustione potior. Quam multis tempora longa fallantur nugis ab iis, qui pro amalgamandis pretiosioribus metallis fumo Hydrargyri loco corporis utuntur, in aprico est: qua suffumigatione equidem illa friabilia redduntur, horumque ramenta cum vapore Mercurii, in summitate vasis congelato, descendunt & in Amalgama coëunt, sed longo demum temporis tractu, vixque comparando momentulo illo, quod in amalgamatione immersiva consumimus. Sulphur Antimonii inflamabile anxiè hactenus anhelarunt multi, Solaris naturæ præ sulphure communi hoc esse, persvasi, eique evocando nullo pepercerunt labori, nulli tempori nullisque impensis: Ast modus id parandi, cum Oleo Vitrioli, à Boyle primo in *Chymista Scept.* commendatus, duplum illius stagmatis ad pondus Stibii, & quinque vel sex hebdomadum digestionem in furno calido postulat, ex mineralis verò hujus Unciis quinque sulphuris embryonati vix drachmæ duæ prodeunt; ipso adhuc ambigente alibi Autore an corporis Antimonii, an menstrui, productum sit, sufficiat, ejusdem cum Sulphure communi hoc texturæ esse.

In Spiritu Tartari parando oleum & operam perdunt frequentius Chymici, non tantum, dum festinate paulo igne Sal hoc vini essentiale in ebullitionem vase rumpentem cogitur, sed dum libræ ejus aliquot unciæ uni illius liqvoris fundendæ vix sufficiunt. Acidum eum asserunt multi, urinosum alii, qvidam salsum: sed quamvis urinosi tantillum, aut falsi potius aliquid, ipsi subesse, haud inficiar, exiguum tamen hoc, & quidem phlegmaticum satis, temporis ac impensarum jacturæ vix æqviparandum erit, rebusque suis atque ægrorum efficacius prospicient, qui Spiritus salis armoniaci guttulas aliquot drachmæ hujus laticis empyreumatici substituunt. Alcalium, Tartari ejusdem imprimis, volatilisationem, postquam, ut strenuis flaminis armatum Chymeram, mirus paradoxorum Faber *Helmontius*, filiis artis magno studio commendaverat, non tantum, quod Liqvori Alcahest in solvendis concretis hincque e-

vocandis Sulphuribus vegetabilium atque mineralium succenturietur, sed obstructionibus etiam membrorum pertinacissimis & profundioribus reserandis maxime potens existat: quam cœco, quæso, impetu in hujus arcani inquisitionem ac elaborationem omnes ferebantur, post edita illius scripta. Sed imperato nunc à diversis, vel menstruo, vel medicamento hoc, eoque in vulgus innotescente, in vanum se laborasse cum pudore fatentur omnes, experientia tandem edocti, se plus sperasse de salis hujus volatilis facultatibus, i. e. nec plus præstare hoc in concretorum solutione, nec in morborum Chronicorum extirpatione, quam Spiritum & Sal volatile urinæ, Cornu Cervi, salis armoniaci, aut ex eadem cum Tartaro radice emergens Sal fœcum vini urinosum, ex harum capite mortuo, postquam Aqua vitae inde destillata fuit, brevi, facilius & in majore copia excipiendum. Levis aut nulla est disparitas inter Antimonium diaphoreticum & hujus spumam causticam, per Spiritum Nitri igneum in pulverem illi similem temperatam ac congelatam: utrumque siquidem mera Antimonii calx est, ab acido Nitri corrosi. Et prolixis nihilominus ac pomposis circuitibus paratur Mercurius sublimatus, ex hoc cum Antimonio butyrum, ex Nitro spiritus, quo ex utriusque hujus liquoris, tanquam binorum Draconum igneorum ac venenosorum, combinatione seu amplexu alexiterium ac bezoardicum emergat svave, repetita demum spiritus Nitri, recentis semper, colobatione ac reverberatione potentiore sufficienter mitescens; cum minoribus impensis, sine ullis ambagibus & intra aliquot horas Antimonium diaphoreticum, viribus illi omnino par, formare liceat. Flores ex Sale Armoniaco cum Sale decrepitato communi, sublimare contendunt Chymici, diversos ab ipso Sale, cuius productum, sibi persuadentes, fixiorem hujus substantiam à sale admixto retineri: ast hoc moliuntur pariter sine successu & sine ratione; i. e. idem Sal armoniacum per sublimatorium evahitur, quod antea erat, imo minoris for-

fan volatilitatis, si in prima sui confectione acido minus saturatum fuerit & potiores teneat urinosum, adhuc aliquid acidi salis marini secum rapiens; hoc certo certius, à sale decrepitato nihil ejus substantiæ fixioris separari. Longe aliter res se habet cum floribus salis armoniaci, per limaturam Chalybis confectis, qui, quia multum sui acidi in hac concentrati relinquunt Sal illud hermaphroditicum, simpliciores, urinosi magis ac penetrantiores, uno verbo, Sal urinosum magis, evadunt, perinde, ac si ab alcali quodam eorum fiat sublimatio; ut vel odor evin cit. Si florum vegetabilium Tincturæ per phlegma Vitrioli aut quamvis acidulatam aquositatem aliquid laboris vel artis exigerent, harum præparationem in præsentiarum pariter dissuaderem: quia tamen inertia potius sua se produnt, in oculos, non in viscera, non in fluida nostra, nisi per acorem menstrui, agentes imprudentiores his turbare nolo, prudentes erroris illius admonere supervacaneum duco. Credas interim, Lector Benevole, plures recensisit ex Chymicorum Officinis ad Tabernas Pharmacopœorum transmigrasse operationes ac præparationes minus necessarias, insulsas, sumptuosas, prolixas, tædiosas minusque efficaces, ut ambiguus hæream, utrum in disponendis ac emendandis Pharmacopœis prudentius agat, qui abrogare superflua ac inutilia, an qui defect⁹ supplere, intendit.

Sed diutius his immorari prohibet, cuius gratia Schedula hanc conscribere jussit confuetudo Nostræ Academiæ, Viri sc. Juvenis Nobilissimi atque Clarissimi,

DN. M. JOHANNIS JACOBI Herings/  
Ligio-Silesiæ, Medic. Baccalaurei;

Qui postquam bonis literis atque artibus liberalibus animum suum ad capessendum Studium Medicum præparaverat, in hac Nostra Academia per sexennium, quo à Professorum ac Doctorum Nostrorum ore atque institutione publice & que ac privatim pependerat, & singularem Arti huic addiscendæ navaverat operam, tantam sibi in hac comparavit tandem peritiam,

am, qvam Facultatis Nostræ Censuræ per Examina bina expone  
nere haud veritus fuit, & Publico nunc per Disputationem In-  
auguralem, de *Hæmorrhoidibus Cæcis*, comprobare intendit, ut  
publico omnium Bonorum applausu *Gradum Licentiaturæ* sibi  
ex more vendicet. Cui Palæstræ ac Solennitati cum proximus  
Veneris dies sit nuncupatus, mihi verò, ad præviam Ordinis  
Nostræ submissam denominationem, à *Reverendissimo*  
*Serenissimo atq; Celsissimo Principe*  
*ac Domino, DOMINO CHRISTIANO,*  
Duce Saxonie, Juliæ, Cliviæ, Monti-  
um, Angriæ & Westphaliæ, Postula-  
to Administratore Episcopatus Mar-  
tisburgensis, Landgravio Thuringiæ,  
Marchione Misniæ & utriusque  
Lufatiæ, &c. &c. Cancellario  
hujus Academiæ perpetuo, *Do-*  
*mino meo Clementissimo, Procancellarii*  
fasces pro nunc Clementissime demandati fuerint; Panegyri  
huic ut præsentiam suam splendidam commodare velint *Ma-*  
*gnificus Academiæ Rector, Utriusque Reipublicæ Patres ac nostri*  
*Cives, Arti nostræ atque Studiis Clarissimi Domini Can-*  
*didiati faventes, ea, qua par est, observantia & affectu, i.e. quam*  
*officiosissime, nomine Ordinis Nostræ Gratiissimi, rogo, omni-*  
*bus autem ac singulis, quorum Benevolentiam exoravero, No-*  
*stra ac Domini Licentiandi Studia & Officia, sine occasionis lo-*  
*ci ac temporis exceptione, promptissima promitto atque ex-*  
promitto. P. P. Lipsiæ d. 4. Julii 1694.